



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 10. Plantarum fausta, & infausta monstra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Quintilis vsque ad 24. sonitum eius de die in diem, per interualla auditum esse. Nimirum quemadmodum in domibus Religiosorum, ad dormiendum & vigilandum, ad orandum & cantandum æris pulsu signum solet dari, vt omnia ordine fiant, neque quidquam, quod ad disciplinam pertinet, negligatur; & quemadmodum in vrbibus tinnitu sonituq; æris mortales ad templum conuocantur; ita & Deus subinde in vnuerso orbe commouet homines, vt excubent, & officio suo non desint. Ne-

Pfal. 150. *que sine caussa dictum est: Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.*

§. X.

Plantarum fausta & infausta monstra.

Plin. l. 6.
nat. hist.
cap. 32.

In plantis quoq; monstra euenire plures testantur. Nam est in exemplis, arbores & sine tempestate, vllâe caussa alia, quam prodigij cecidisse multas, ac sua sponte resurrexisse. Factum hoc populi Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceria in luco Iunonis, ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita vt protinus floret. A quo deinde tempore maiestas populi

Rom:

Rom. resurrexit, qua antè vastata cladibus fuerat. Memoratur hoc idem factum & in Philippis, salice procidua atq; detruncata: & Stagiris in musao populo alba. Omnia fausti ominis. Sed maxime mirum Antandri plantanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta, vitæq; reddita, longitudine XV. cubitorum, crassitudine quatuor vlnarum.

Quin etiam, vt Dionysius & Herodotus memorant, Laodiceæ aduentu Xerxis plantanus in oleam mutata est. Fuit in his arborum monstris virorum fortium quædã imago, qui etiam apud Isaiam vocantur plantatio Domini ad glorificandum. Ac, ne re-

rum feliciam duntaxat, in plantis, monstra gigni existimentur, refert Valerius, metentibus, apud Antium, cruentas spicas in corbem cecidisse; significabatur scilicet, multum sanguinis, instante bello, faciendum, & plurimos mortales fatali falce,

merendos. Quippe etiam hoc in plantis portenditur. Siquidem *omnis plantatio, quam non plantauit Pater cælestis, eradicabitur.* Talem eradicationem etiam portendit fraxinus, quam Anno 1592. Emblicæ in collegio F.F. Hieronymianorum

tempestas fregit. Eius enim truncum vbi

Dionys.
lib. 9. He-
rodot. l. 7.
& 8.

Isa. 61. 3.

Val. Max.
lib. 1. c. 6.
n. 5.

Matth. 15.
13. Ianso.
t. 1. lib. 5.
Mercurij Gallo
belg. pag.

355.

Collegij procurator excindi, & in frustra secari iussit, in singulis incisionibus tota militum agmina expressa apparuerunt; inter quos tympanotribæ, signiferi, ductores alijsque milites Borussorum & Polonorum more amicti non aliter, quam si ex industria depicti essent, conspiciebantur. Terra olim Cadmea segete hastatos genuisse fingebatur, quis miretur nunc ubique bella geri, si nobis milites in arboribus crescunt? Et sanè hi de plantis milites lignei, veros post se milites traxerunt. Nec fabula est de his ligneis militibus, Petrus enim Huestius partes ligni illius ostendit & oculos, quibus plurimum credimus, testes adhibuit.

§. XI.

Auium exoticarum monstra.

Si ad animalia veniamus, copia numero caret. Et auium quidem vel auspicia, vel auguria, suo iure remittimus ad superstiosos. Arcesilao regnum tenente, candidus coruus apparuit, de quo graue responsum ferebatur. Et mox ad Democratiam status ciuitatis recidit; Bessus cum ad Hesperidas decessisset, occisus est. Faustior coruo albo fuit Onacrotalus, auis cygno multò

Herodot.
lib. 4.